QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS V. MARTII,

M. NICOLAO HENAVT, Doctore Medico, moderatore.

839

An Ingenij ſtimulus ira?

NON pauciores animi morbos eſſe quàm corporis, eoſque longè grauiores omnibus eſt exploratum: ſua enim vt corpori ſic animæ, ex partium ſimplicium compoſitione temperies; cuius diſſolutio animi morbos inuehit. Mens animæ pars præcipua capitis arcem tenet, omni turbido motu ſemper vacans; excandeſcentia cor, cupiditas iecur, obtinuere, procul à cerebro ne importuna vicinitas rationem ſupernè conſtitutam perturbaret. In his partibus verſantur perturbationes, quæ ſunt motus appetitus ſentientis ex apprehenſione boni vel mali, cum aliqua mutatione non naturali corporis; cauſas admittunt, opiniones illas quidem nec bonas nec malas; vnde animus ſapientis illarum poteſt eſſe particeps. Illas omnes moderatur recta ratio quæ eiuſmodi contentionum arbitra fluctus excitatos componit: repugnante ipſo appetitu, concidit ſtatim omnis animi εὐταξία, quam diſſolutionem, ſtatim ſequitur corporis καχεξία, morbos enim vt & ſanitatem, corpus & anima inuicem ſibi communicant.

INORDINATI illi motus non æqualem mentis officiis moram iniiciunt, ſed pleriq; exacuunt magis, redduntque ſubtiliorem: Corpus etiam variè exercent, dum alterutrum ad virtutem, ſanitatem, vitia, morbos, mortem etiam ipſam præcipitant. Nobiliſſimus animus corpus ſibi adſciſcit bilioſum, feruidum; hinc præſtantiſſimi quique perciti, amaſij, iracundi. Paſſiones virtutes accendunt, corpora cuſtodiunt, ſi immoderatæ non fuerint & rationem recta imperantem audiuerint. Pauor inſignis inopinanti ſuperueniens, febres ſoluit, excitat. Ira, ad quam prouocandi ſunt ſomniculoſi & inertes, neminem derepente ſuſtulit. Gaudium, quod triſtibus & cogitabundis debetur, extinxit plurimos ſed imbecilles. Verecundia, nonnullos etiam interemit. Triſtitia, vitæ venenum, corpus paulatim conficit, ſolis περιχαρία diſſolutis frugifera.

INGENIVM eſt virtus animi, quæ cum magna celeritate rerum cauſas peruadit; huius ſpecies nullæ ſed gradus permulti, quorum excellentior ille eſt qui plura & difficiliora facilè percipit, εὐφυεῖς appellantur γασιμῶις longè præſtantiores. Cœlum, ſolum, cibus, potus, animi motus vehementiores, cerebri textura, eiuſdemque temperies, vel conſeruant eam vel immutant; tam leue eſt, tamque varium, quod hominis mentem mutet, millibus ingeniorum hinc deductis tanta varietate, vt vnum alteri ſimile non reperias. Hanc vim maximè promouet ſubſtantiæ cerebri tenuitas, puritas, gaudet & fragili corporis textura, capitiſque paruitate. Europæ intemperiei, cedat Aſiæ clementia; Aſperæ regionis & nudæ incolæ, acutiores & ſolertiores. Melancholia & ſtultiſſimos & prudentiſſimos fingit. Quantùm humoris tantùm demitur de ſapientia.

IRA, caloris eſt velut efferueſcentia in corde cum appetitu depulſionis, primùm calorem intro, deinde foras ſubitò impellit, ad ſuppetias inſtrumentis ferendas, quibus vim inferre poſſumus, calidis naturis vitanda, quibus familiaris eſſe ſolet, perinde atque ieiunis potiùs quam ſaturis: horum ſpiritus & ſanguinem reddit calidiores, bilem acuit & reſeratis totius corporis ſpiraculis, fumidos vapores diſſipat, diarias excitat, putridas; cauſa etiam mortis eſſe poteſt. Ἀοργησία ſtupidis tantùm competit, flauâ bile tenuique abundant ἀκρόχολοι, qui excellenter acuti ſunt, πικροὶ, acerbi, amari, iam aliquid atræ bilis admixtum habent, horum eſt ira conſtantior. Ἀκρόχολοι, magnanimi ſunt, & rerum humilium contemptores; Quare tributa homini ad appetitum rerum excellentium ira videtur, vtque rationi opituletur aduersùs immanem belluam, cupiditatem, illuſtrium ſemper virorum comes: Orator iratus aliquantò melior eſt, Regiæ Maieſtatis eſt illa cuſtos & legum vindex, cos fortitudinis, animi neruus, virque non eſt qui iraſci neſciat.

IMMANITATEM in animo, ſtuporem in corpore, ſignificat ἀπάθεια illa Stoicorum, impoſſibilis & inutilis, quæ tollit omnem amoris mutui beneuolentiam, quâ maximè vita conſtat: μετριοπάθεια reiicienda non eſt, neque iſtis paſſionibus iræ, timoris, audaciæ, voluptatis homo carere totus poteſt, neque ſi poſſet eſſet melius: languet enim animus quarumdam affectionum ſubſidiis, vt neceſſario plurimùm præſidio priuatus: vt iiſdem adiutus non mediocriter intenditur; parſque maxima virtutum, eorum motuum impulſu gaudet: quam enim acres ad virtutem impetus peperit ambitio; pœnitentiam fouet ignauia; manſuetudinem inertia, miſericordia ad clementiam impellit, timor noſtri conſeruationem excitat in nobis: Amor obſtipos erigit, duros & agreſtes non ſinit eſſe feros. Manſuetus denique & ingenioſus non eſt; fruſtraque ad poeſis fores pulſat aliquis, niſi qui furoris ſit particeps: Heroum eſt hæc affectio furere; vt non videatur animus magis ſuus, quàm cum ſui compos non eſt, cum & vis illa quâ futura cognoſcimus in furore tantùm & in ſomno eluceſcat.

Ergo Ingenij ſtimulus ira.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS GAVOIS, Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVII.